



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1765**

**VD18 90118243**

§.31. Legatio ad novum Imperatorem Græcum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

tos stipe ludibrio habebat, simulatores pie- Sæcul. XIII.  
tatis, præcursores Antichristi, conciona- A.C. 1256.  
tores mendaces, blandos Regum ac Prin-  
cipum consiliarios nuncupans, arguens-  
que, quod pastores ordinarios spernerent,  
sacri tribunalis fidem fallerent, ac pec-  
candi audaciam foverent, incognitas sibi  
provincias percurrentes. Ita loquitur  
Matthæus Paris Religiosis Mendicanti-  
bus parum favens.

### §. XXXI.

#### *Legatio ad novum Imperatorem Græcum.*

Interim Papa Alexander Episcopum Ur-  
bevetanum ut Legatum ad novum Im-  
peratorem Græcum, qui Theodorus Las-  
caris vocabatur, misit, negotium de con-  
jungendis Ecclesiis cum ejus patre Joan-  
ne Vatacio cœptum resumendi gratia.  
Mandatum vero, quod Papa Legato de-  
dit, continebat primo puncta, quæ Vata-  
cius Papæ Innocentio IV. proponenda  
curaverat, scilicet agnitionem principa-  
tus sanctæ Sedis & Papæ supra omnes  
Patriarchas cum jure præsidendi conci-  
liis; Græcorum Clericorum, qui per Prä-  
fules suos se vexatos crederent, liberta-  
tem appellandi ad Romanam Ecclesiam;  
quæstionum, præsertim fidei, quæ inter i-  
psos orirentur delationem ad Sedem A-  
postoli-

2.ep.325.  
a.v. Rayn.

n. 48.  
Vading. n. 61

Sæcul. XIII.  
A. C. 1256.

postolicam; obedientiam ac submissionem Papæ ac decretis ejus exhibendam, dummodo regulis evangelicis, aut conciliorum sanctionibus non sint contraria. Græci cupiebant Imperatori Theodoro Constantinopolim, & Patriarchis suis sedes ipsorum restitui, ita, ut Imperator Balduinus & Latini Patriarchæ inde discederent, excepto Patriarcha Antiochiae, qui, quamdiu viveret, ibi toleraretur. Papa Innocentius IV. de consilio Cardinallium has in conditiones consenserat.

Attamen de reddendo Imperio nihil se posse non vocato Imperatore Latino statuere causatus, offerebat operam suam ad compositionem inter eum ac Theodorum faciendam: si minus, se huic, quidquid æquum esset, addicturum spondebat. Ad Patriarchas quod attinet, respondebat, eos relinquendos in statu suo, donec concilium ea de re tulisset sententiam. Promittebat tamen fore, ut Constantinopolitanum Patriarcham Græcum ab eo tempore pro vero Patriarcha habeat, & si quo modo potum urbe Imperatorem Græcum audierit, ad pristinam Patriarchatus sedem reduci curet, ita tamen, ut etiam Patriarcha Latinus in civitate maneat, suisque præsit.

Papa Alexander permisit, ut Episcopus Urbevetanus Legatus suus has conditiones, si obtinere meliores nequiret,  
acc.

acciperet, eumque jussit Græcos, si rei  
fusius tractandæ spatiū dari cuperent,  
eo adducere, ut Legatos cum plena po-  
testate tam Imperatoris quam Ecclesiæ  
Græcæ Romam mitterent, negotium  
cum Papa præsente confecturos. Deni-  
que Legatus habebat copiam dirigendi  
consilia ad generale concilium illis in lo-  
cis celebrandum. Reapſe profectus cum  
comitibus suis Beream in Macedonia si-  
tam advenit, ubi aliquamdiu moraban-  
tur. At Georgius Acropolita magnus  
logotheta, quem Imperator Theodorus  
illi provinciæ præfecerat, hoc Principe  
jubente eos remisit. Nec ullum hujus  
legationis effectum vidimus.

Sæcul. XIII.

A.C. 1256.

*Georg.**Acrop. c. 67.**p. 77.*

## §. XXXII.

*Liber de periculis condemnatur.*

Legati Regis S. Ludovici, & Domini-  
canorum nuncii ante oratores Uni-  
versitatis Parisiensis Anagniam, ubi Papa  
tunc agebat, delati librum de periculis no-  
vissimorum temporum ei tradiderant. Qui  
examinandum commisit quatuor Cardi-  
nalibus, Odoni Castro-Rodulphino Epis-  
copo Tusculano, Joanni Franciogo Pres-  
bytero tit. S. Laurentii, Hugoni a S. Cha-  
ro Presbytero tit. S. Sabinæ Dominicanu-  
& Joanni de Ursinis Diacono tit. S. Nico-  
lai. Retulerunt ad Papam, hunc librum  
conti-

*Duhoutai**p. 310. 313.*